

# INCIPIT NAHUM PROPHETA



# Contents



# INCIPIIT NAHUM PROPHETA

1 Onus Ninive. Liber visionis Nahum Elcesæi. <sup>2</sup> [Deus æmulator, et ulciscens Dominus: ulciscens Dominus, et habens furorem: ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis. <sup>3</sup> Dominus patiens, et magnus fortitudine, et mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus. <sup>4</sup> Increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan et Carmelus, et flos Libani elanguit. <sup>5</sup> Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt: et contremuit terra a facie ejus, et orbis, et omnes habitantes in eo. <sup>6</sup> Ante faciem indignationis ejus quis stabit? et quis resistet in ira furoris ejus? Indignatio ejus effusa est ut ignis, et petræ dissolutæ sunt ab eo. <sup>7</sup> Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se. <sup>8</sup> Et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus, et inimicos ejus persequentur tenebræ. <sup>9</sup> Quid cogitatis contra Dominum? Consummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio, <sup>10</sup> quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium; consumentur quasi stipula ariditate plena. <sup>11</sup> Ex te exhibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem. <sup>12</sup> Hæc dicit Dominus: Si perfecti fuerint, et ita plures, sic quoque attondentur, et pertransibit: afflixit te, et non affligam te ultra. <sup>13</sup> Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo, et vincula tua dirumpam. <sup>14</sup> Et præcipiet super te Dominus; non seminabitur ex nomine tuo amplius: de domo Dei tui interficiam sculptile, et conflatile; ponam sepulchrum tuum, quia inhonoratus es. <sup>15</sup> Ecce super montes pedes evangelizantis, et annuntiantis pacem. Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua, quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial: universus interiit.]

2 [Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem: contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde. <sup>2</sup> Quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sicut superbiam Israëli; quia vastatores dissipaverunt eos, et propagines eorum corruerunt. <sup>3</sup> Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis; igneæ habenæ currus in die præparationis ejus, et agitatores consopiti sunt. <sup>4</sup> In itineribus conturbati sunt; quadrigæ collisæ sunt in plateis: aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia. <sup>5</sup> Recordabitur fortium suorum; ruent in itineribus suis: velociter ascendent muros ejus, et præparabitur umbraculum. <sup>6</sup> Portæ fluviorum apertæ sunt, et templum ad solum dirutum. <sup>7</sup> Et miles captivus abductus est, et ancillæ ejus minabantur gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis. <sup>8</sup> Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus; ipsi vero fugerunt. State, state! et non est qui revertatur. <sup>9</sup> Diripite argentum, diripite aurum: et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus. <sup>10</sup> Dissipata est, et scissa, et dilacerata; et cor tabescens, et dissolutio geniculorum, et defectio in cunctis renibus, et facies omnium eorum sicut nigredo ollæ. <sup>11</sup> Ubi est habitaculum